UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1719. usque ad annum 1720

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 23. Serenissimi Regentis sollicitudo in reprimendis Appellantium molitionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67659

Visual Library

eamque inReges atqueEpiſcopos transferre nitebantur, promoto autem greſſu Regularibus omnem fidei tuendæ & pietatis fovendæ adminicula ſuccidebant, demum Epiſcopis, quos ſibi repugnaturos crediderant, laicæ jurisdictioni ſubjectis, ipſos fidei Catholicæ articulos ſub ſpecioſo fidem ad primitivæ Eccleſiæ puritatem revocandi obtentu, eliminare, atque ad Sectariorum commenta accommodare ſtudebant; cum autem probe proſpicerent, Viris eruditione claris Lutheri ſyſtema nimis craſſum, ac ſimplex videri, ſaltem ſe planam ad indifferentismum viam ſtraviſſe lætabantur. Sæc. XVIII. A. C. 1719.

§. XXIII.

Sereniſſimi Regentis ſollicitudo in reprimendis Appellantium machinationibus.

Funeſti ſchismatis periculo excitatus Regni Regens, præprimis Parlamentorum licentiam, qua acceptantium Epiſcoporum mandata indigne habebant, & Appellantium auſus reprimere ſtatuit; igitur ad Cardinalium Rohanii & Biſſyii preces Rothomagenſis Parlamenti edictum examinari juſſit, ſimulque contra quosdam Religioſos atque Eccleſiaſticos appellantes Rohanio

Sæc. XVIII. A. C. 1719.

hanio Cardinali Regias literas tradidit, vi quarum hi in exilium trudebantur, eadem quoque pœna Regentis mandato Picotus Equillius Ebroicenſis Canonicus, Albienſis Sacellanus, Canonici Cathedrales Aquenſis & Arelatenſis Eccleſiæ, Bituricenſes Canonici, Margueritus Aquenſis Sacerdos pluresque alii plectebantur, ſuſpectisque ſacræ veſtes pro peragendo Miſſæ ſacrificio denegabantur.

§. XXIV.

Silentium utrique parti circa præſentem controverſiam ab ipſomet Galliarum Rege impoſitum.

Dorſan. Journal t. 1. p. 460. *Lafiteau* l. c. p. 157.

Sub idem tempus non modo Biſſyus Cardinalis & Toloſanus Archiepiſcopus refractarios ſuæ Diæceſis Eccleſiaſticos Canonica ſeveritate plectebant, ſed etiam Aquenſis & Arelatenſis Archiepiſcopi quibusdam Canonicis, qui a Conſtitutione appellarunt, utpote excommunicatis in Cæna Domini Sacram Synaxin diſtribuere renuebant; quibus etiam ſicut & Tolonienſis & Maſſilienſis Eccleſiæ Canonicis ipſemet Regni Regens per Regias literas interdixit, ne præfata die usque ad feriam ſecundam Paſchatis Divino Officio in Eccleſia Cathedrali intereſſent præ-